

morboque in dies magis invalescente, eo devenit, ut ex medicorum consilio non amplius mensis spatio vitam esset producturus. Quod ipse ex fratre minore (quem alterius gratia domi meae detinebam) resciscens, arrepto statim itinere, in patria se in carissimae matris gremio, nisi aliter Deo videretur, aiebat moriturum.

Quam acerbus mihi casus ille fuerit, iudicet is, qui nouerit tales Geographiae sculptores in Italia paucos reperiri. Accessit hisce miseriis illud etiam, quod dum Patavii superiore aestate essem, oblatus mihi fuit Germanus quidam, e Prussia oriundus, satis huic meo operi conveniens, quem ego mecum pro necessitate qualicumque pacto Bononiam conduxissem; nisi infelix ille, altero, postquam mihi innotuerat die, quae prima Augusti erat, in aquas natandi causa abiens, vino quo ventrem onerarat, plus iusta aquae copia diluto, se ipsum malo suo fato enecasset.

Taceo nunc alterius cuiusdam Venetus et nomen consulto et miseram conditionem, qui pluribus aliorum laboribus egregie absolutis, e in primo opere vel Tabula geographica quae meo nomine celabat, artificium cum sensibus misere perdidit, et nominibus locorum urbiumque pro iudicio suo obscuroe immutatis, eo tandem dementiae progressus est, ut a suis necessario vinculis costringeretur. Venit demum ad me decima Decembris anni proxime elapsi Amadeus Joannis Amstelodamus, omnium adhuc qui mihi unquam laborarunt artificiosissimus. Ille pauculis istis usque ad Natalitium salvatoris nostri diebus Tabulam unam Principatus Citra Regni Neapolitani a prioribus inceptam egregie absoluit. Sed tertia a sanctissimo Christi natali die ex longa viarum quas Augusta in Italiam per Romam et Regnum neapolitanum fecerat, incommoditate, maligna correptus febre, undecim circiter diebus lecto affixus, sexta januarij sequentis, qui dies Epiphaniae sacer erat, acceptis S. Romanae Ecclesiae, pro more, ritibus, catholice mortem cum vita commutavit.

Cuius mors tanto maiore me dolore affecit, quanto illius exopinatus adventus et praeclara laborandi industria mihi gratior fuerat. Verum ut tot artificum morte plurimum damni accepi atque sustinui, sic maxima in obtinendis Italiae provinciarum delineationibus, commoditate, nec id absque ingenti meo labore sum gavisus. Cum nihil ita reconditum fuerit, quod Illustrissimorum Cardinalium, Principum, summorumque Virorum intermedia opera, de quibus suo loco et tempore gratissimam memoriam facere decrevi, non obtinuerim. Constituimus namque non solum illos, ex quorum descriptionibus plura conguessimus, sed hos etiam, quorum ope et auxilio illae delineationes ad nostras manus venerunt, cum laude nominare. Neque enim ego me curiosa nimis diligentia tota Italia discursisse profiteor, cum praeter gravissimos sumptus, quos illa res exigeret, ad illud unius hominis aetas nequaquam aut vix sufficiat. Sed hoc non iniuria gloriari possum, me ex tot particularibus delineamentis accuratissimas locorum distantias et certissimam longitudinum et latitudinum dimensionem, quantum Geographus assequi possit, in hac nostra Italiae descriptione collegisse; ita ut Tabularum inter se congruentia aperte conspiciatur. Id quod maximo sane labore ex tot diversis et a se non parum discrepantibus aliorum delineationibus praestare sum conatus.

Quin et hoc semper egi, ut ex singulis totius Italiae regionibus, terrarum, urbium, castrorum, locorumque omnium vera nomina, ab ipsis dominiorum principibus, civitatum primoribus et scriptoribus etiam reciperem; ut suppletis, si quae meae descriptioni deesse viderentur, nominibus, tabulas ite absolutas in partes quasque suas ablegarem, quo a loci peritioribus debito magis ordine et loco disponderentur. Qua tanta diligentia hoc obtinuisse mihi videor, ut nihil meae huic Geographiae deesse, nec in illa intolerabiles tot errores conspici, quot in Mercatoris, Ortelij aliorumque Italiae descriptione passim animadvertuntur, ausim ingenue profiteri.

Quantos vero hac in re sumptus fecerim, quot vigiliis, molestiis et periculis hoc opus pene confecerim, nemo est, nisi expertus, qui facile crediderit. Unde non est quod negligentiae adscribant nonnulli, a quibus toties pro hac mea Italia evulganda interpellor, si illam non edidero, priusquam certa nonnullorum principum, quae mihi necessaria videbantur, privilegia obtinuerim, ut viam aliquibus resece, qui contra omnia et naturae et fidei catholicae iura aliorum sudores aucupantur, dum nullo labore, brevi tempore, minoribus impensis, auctorum labores imitantur et commodo quod aliis debebatur iniuste fruuntur. Exemplum mihi fuit ille, qui Coloniae Agrippinae Ptolemaeum nostrum cum commentariis, hic prius satis convenienter a Galignanis Bibliopolis Patavinis propriis et maximis sumptibus impressum, typis suis inepte rustica nimis impudentia subiecit, ut qui me salvo et vivo ne obtulerit quidem unquam, vellemne aliquid restituere, vel ad priorem laborem adiungere, verum plus quam barbara fide, omne illud lucrum quod sexdecim annorum spatio, quo Tabellulas illas maximis sumptibus insculpi fecerant, Galignani merebantur, iniuste sibi usurpavit; dum melioribus horum Exemplaribus in Italia residuis, nec ad Nundinas Francofurtenses postmodum transportatis, ipse sua, indigno sane commodo et fructu, facillime in Germania divendere et distrahere potuit.

Reliquum est ut, si cuipiam se offerat occasio mihi subveniendi, quo artificis cuiuspian opera pauculas illas, quae restant, Tabulas absolvere queam, illum deprecor, ne sua incuria universam Remp. literariam hac utilitate privet. Desunt autem haec tantum: Italia tota uno, Status Ecclesiae altero, Regnum Neapolitanum tertio, Patrimonium S. Petri cum Sabina et